



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 5. & 6. Licet-ne in aliquo casu etiam non jejunis porrigere Eucharistiam?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**



Santità sua, in virtù di santa obediènza, à tutte le Donne di qualsivoglia stato, grado, e conditione si siano, che non compariscino per le strade, ne altri luoghi publici, ne rispettivamente l'arteggiane nelle loro botteghe, e molto meno si faccino vedere per le Chiese con il petto, ò spalle, ò braccia scoperte; mà copriano le spalle e il petto sino al collo, e le braccia sino à i polsi delle mani, con drappo ò altra cosa che sia densa e non trasparente: Prohibendo ne contrafacientes ad Sacramenta Pœnitentiæ, aut Eucharistiæ admittantur.

Quæst. 5. Licet-ne in aliquo casu etiam non jejunis porrigere Eucharistiam?

Resp. Potest quidem Viaticum brevi morituris dari non jejunis, ut ait Rituale Romanum. Quod etiam definitum fuit in Concilio Constantiensi his verbis: *Decreuit ac definit, quòd licet Christus post cœnam instituerit & discipulis administraverit hoc venerabile Sacramentum; tamen, hoc non obstante, sacrorum Canonum autoritas & Ecclesiæ approbata consuetudo servavit & servat, quod hujusmodi Sacramentum nec post cœnam conficiatur, nec sumatur à non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis à jure vel Ecclesiâ concesso vel admissio.*

Conc. Constant. sess. 13.

Observandum tamen cum Divo Thoma, quod Reliquiæ cibi remanentes in ore, si casualiter transglutiantur, non impediunt sumptionem hujus Sacramenti; quia non trajiciuntur per modum cibi, sed per modum salivæ. Et eadem ratio est de reliquiis aquæ vel vini, quibus os abluuntur, dummodo non trajiciantur in magna quantitate, sed permixta salivæ; quod vitari non potest.

S. Tho: 3. p. q. 80. art. 8. ad 4.

Quæst. 6. Infirmus periculosè laborans, qui semel non jejunus communicavit, potest-ne



pluries etiam non jejunus communicare?

*Resp.* Hujusmodi infirmus multoties Eucharistiæ Sacramentum etiam non jejunus percipere potest perseverante morbo, vel ingravescente morbi periculo. *Quod si ager, dicitur in Rituali, sumpto Viatico supervixerit, vel mortis periculum evaserit, & voluerit communicare, ejus pio desiderio non deerit Parochus, quoties aequum videbitur: quin & per modum Viatici, infirmo, etiam non jejuno iterum concedet, si postquam convalescerit, denuò in aliquod grave mortis periculum, incidere: Maternâ Ecclesiæ indulgentiâ, quæ in Concilio Constantiensi congregata eam facultatem ægrotantibus impertit, ut non jejuni communicarent gaudere poterit ægrotus: Hac autem Concilii facultas, cum non sit ad unam vicem redacta, sed indefinitè concessa, patet eam à Concilii Patribus indultam, ut quoties justa necessitas exigeret, ægrotantibus non jejunis hoc Sacramento jam semel donato, interjecto inter utriusque Viatici perceptionem sex, aut octo dierum spatio, iisdem etiam non jejunis saluberrimum denuò Viaticum concederetur.*

*Quæst. 7.* Pollutiones quæ aliquando in somno contingunt, impediunt-ne perceptionem sacræ Communionis?

*Resp.* Divus Thomas tum scientia tum puritate Angelorum æmulator, huic quæstioni solidissimè sic respondet: *Pollutio quandoque ex illusione accidit, quando phantasmata per causam extrinsecam spirituales, scilicet demones, commoventur. Quandoque ex reliquiis præteritarum cogitationum: quod est causa spiritualis intrinseca. Quandoque ex causa intrinseca naturali, qua quidem causa, vel fuit voluntati subjecta, sicut est quando ex*

S. Tho. in 4.  
di 7. 9. art.  
4. q. 1. in res-  
pons. ad 2.  
quæst.